



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE XIV. JANUARI.



Portu Gaditano a. d. 25. Novembr. Nudius ab hinc quartus cursor a rege missus accessit mandataq; adtulit, ne quas naues Hollandorum portum nostrum intrare permittamus, donec nova nobis mandata ea de remissa fuerint, Id exinde factum esse ferunt, quod fama pervenerit ad aulam, in naui quadam, quæ cum classicula Somelsdykii piratas Algerianos obseruabat, multos ægrotos, quin & mortuos Texellam esse perlatos, Alii vero occasionem huic rei dedisse aiunt merces gallicas, in nonnullis Hollandorum nauibus repertas, quas illi Hollandicas esse adseuerare ausi sunt.

Lutetia Parisiorum. a. d. 16. Dec. Cum haud ita pridem, cuidam e Cartouchii

sociis, cui Balignio nomen erat, rota confringerentur crura, ille, priusquam capitis adficeretur supplicio, inter alia professus est, iudicem, coram quo capitis causæ aguntur, & procuratorem regium, acceptis, ante tres annos, quinque librarum Gallicarum millibus, a laqueo, quo jugulandus fuisset, se liberasse, atque ab omni immunem pœna dimisisse e carcere. Quare, sequenti statim die, summi senatus in Gallia patres conuocati fuerunt, quibus præsentibus, illi audiri ea de re debuerunt. A. d. 11. Decembr. rex a Ventadouria accepit litteras, quibus illa Montpensieriam bene adhuc valere, & a. d. 15. Dec. Burdegalam peruenturam esse, nuntiat. Die 12. Decembr. Rohanius princeps ex hac vrbe abiit, Montpensieriam in itinere consequuturus. Tam magna nefariorum hominum in hac vrbe latet copia,

copia, vt nemo; qui nocturno tempore e domo in plateas progreditur, ab eorum insultu, & petulantia tutus esse queat, siquidem paucis ab hinc diebus quinque homines interfecti, & passim in vrbe sublatis fuerunt. Ceterum, regem, simul atque is corona ornatus fuerit regia, sedem Versaliam translaturum esse, arbitrantur. Et cum dux Aurelianensis litteras, quas a pontifice nuper accepit, sibi vni seruat, nec quidquam ex iis diuulgari patitur, omnes, ex sententia illius minime scriptas esse, facile hariolantur, præcipue, cum pontificem nihil diplomatum deinceps traditurum, ajunt, illis episcopis, qui in sua persistunt sententia & adduci nequeunt, vt *constitutioni Vnigenitus* subscribant.

Alia. a. d. 19. Dec. Superioribus diebus, Hopius, celsissimorum in Belgio procerum legatus, Orfunensem ducem, quem rex Hispaniæ legatum extra ordinem constituit, & in hanc misit regionem, salutandi causa, adiit, & diu multumque de rebus maximi momenti cum eo colloquutus est. Dolghoruckius princeps, qui Imperatoris Russorum in hac vrbe partes agit, omnia sedulo comparat, quibus diem 22. Dec. quo memoriam renouatæ inter Russos, ac Suecos pacis celebrabit, solemniorem reddere, & jucunda populo exhibere spectacula poterit. Si quid litteris Constantinopoli ad nos perlatis credendum est, futuro anno imperatoris Turcarum filium, natu maiorem, in hac vrbe videbimus, vt pote quem, aliorum principum exemplo adductum, exteris peragraturum regiones, adfirmant. Die 12. Decembr. Dux Aurelianensis, finito, quod eo die indixerat, procerum concilio, in couclauæ, quo tabulæ reginæ Sueciæ Roma adlatæ adseruantur, se contulit, remotisque omnibus, qui

eum, videndi cupidum, interpellare ac turbare poterant, hanc pretiosissimam rerum antiquarum supellectilem accurate oculis lustrauit, & in suam pinacothecam referri iussit. Paucis ab hinc diebus, Tencinio, *abbati*, qui res nostras deinceps Romæ curabit, litteræ missæ sunt, quibus plenior illi fides apud Pontificem conciliatur. Collegio autem, quod a rota nomen accepit, is nondum adscriptus est, etiam si vano decepti rumore, illud nuper factum, commemorauimus. Rohanio, *abbati*, cognato purpurati, *archiepscopatum* Rhemensis destinari, aiunt, id quod tamen propter magnam eorum, qui illam dignitatem ambiunt, copiam, pro certo adfirmare, haud facile ausi fuerimus. Chatillonius, *marchio*, qui 9. Die. Decembr. e viuis discesserat, & vxorem reliquerat grauidam, amplo nudius quartus funere elatus fuit; vxor autem tertio, postquam mortuus erat maritus, die, fiolum enixa est. Quandoquidem ad regis peruenit aures, plurimos in vrbe reperiri homines, qui ludendo rem facere, aliosque argento emungere cupiunt, & noua quotidie ludorum excogitant genera; edicto ille palamedito, eiusmodi infrunitam ludendi libidinem coercere constituit.

Londini a. d. 19. Decembr. Superiori die saturni, præfecti rei nauticæ tabulas superiori curiæ proposuerunt, in quibus omnis ætis alieni, rei naualis causa contracti, rationes exponuntur. Eodem tempore kowperus occasionem sibi datam existimauit, qua de ædificandis abducendisq; ad exteris gentes ex Anglia nauibus, suam sententiam, omnibus, qui tum aderant, regni primoribus, exponeret. Sibi itaque maximo-pere displicere aiebat, quod hoc tempore Galli in Anglia sibi exstruerent naues; Caroli namque II. exemplo facile intel-

intelligi posse, quantum ex ea re periculi Anglis timendum sit; tum enim factum fuisse admonebat, ut Galli, nauium ex Anglia acceptarum multitudine freti, libertatem, rem Anglis gratissimam, opprimere, & ipsa quoque sacra turbare conarentur. Quam ob causam necessarium esse censebat, ut maxima diligentia inquiratur, cuius consilio tot naues in regionibus nostris, pro exteris ædificentur. His diebus Hosierius, militiæ naualis proprætor, præter omnium opinionem in Portum magnum * abiit, cui id negotii datum aiunt, ut aliquot naues rebus ad usum belli necessariis instrueret, easque, simul ac tempestas fuerit ad nauigandum idonea, in altum deduceret. Illæ vero naues, quæ transuehendis mercibus inseruiunt, nunc iterum magna cura a mercatoribus nostris præparantur, in Indiam orientalem dimittendæ E Lusitania accepimus literis, duos illos mercatores Anglos, qui in custodiam nuper abducti fuerant, ex ea iam esse dimissos, atque in pristinam libertatem restitutos. Id autem monitos esse a quæsitibus Lusitanis, ut accepta admissorum venia, sine fraude ac dolo in posterum negotientur, nihilque, quod voluntati regis, aut consuetudini in Lusitania receptæ repugnat, committant. * *Portsmouth.*

Hagæ Comitum a. d. 30. Decembr. Proceres Seelandiæ id in nupero consilio deliberandum proposuerunt, annon utile foret, si præpotentes Belgii fœderati status præmia maiora proponerent iis, qui naues aduersum Algerianos piratas instruerent, id quod ab omnibus postea omnium prouinciarum legatis adprobatum est, nullo negante, frustra aduersus barbaros hos mitti classiculam neque felicius eos debellari, ac citius opprimi posse, quam si priuato cuius naues instruere eosque persequi libere

permittatur. Quapropter ferunt, editum hac de re primo quoque tempore editum iri, quo sancietur, ut omnes naues barbaræ illis prædæ cedant, a quibus fuerint deuictæ.

Ex Holsatia a. d. 26. Dec. Holmia nuntiatum nobis est, duas illarum nauium, quibus nuper milites in Finoniam sunt transportati, in reditu, inter scopulos prope Alandiam, naufragium esse passas, & complures, qui in iis erant remiges aquis esse mersos. Reualia perscriptum est, accessisse eo plus minus quingentos militum præfectos suecicos, qui in captiuitate fuerunt Russorum, eos igitur nauigiis, quibus nuper captiuos Russicos eodem transportandos curauimus, huc redituros speramus.

Petropyrgi a. d. 1. Decembr. anni superioris. Illo, qui præterit mense, Stephanus *Kinskyus comes*, idemque Romanorum Imperatoris in vrbe nostra legatus, diem *Carolo Borromæo* sacram, atque Imperatoris nomine insignem, omni pompa lætitiæque celebravit. Finitis enim in æde quam Catholici apud nos possident, sacris, non tantum Imperator Russorum, sed & omnes cum eo proceres aulæ, militiæque duces apparatusimo ab eodem *Kinskyo comite* conuiuio sunt excepti. Simul ac verò coepissent accumbere mensis conuiuæ, Russorum Imperator, arrepto, quod omnium capacissimum in mensa inueniebatur, poculo, primum Imperatoris Romanorum, deinde *Russi, Zechi & Lechi* libauit sanitati, ab his quippe tribus fratribus tres populi, Russi nimirum Bohemi atque Poloni, suam duxisse originem, vulgo creduntur. Atque ita ad seram usque vesperam apud legatum commoratus, totam illam diem iucunde hilareque extraxit.

Alia ex eadem vrbe a. d. 5. Dec. Cum *Kinskyus comes*, nuper Imperatorem nostrum

strum conuenisset, atque cum eo, remotis arbitris, colloquium habuisset, forte accidit, vt paruulus princeps, quem cum duce femiua Brunsnico - Luneburgica procreauerat Imperatoris nostri filius, ante aliquot annos mortuus, in conclauē, quo vna erant, intraret, atque Imperatoris se adplicaret lateri, quem Imperator dextra prehensens, en, *inquit*, principem, in spem totius Russiæ genitum, faxit DEUS! vt Romanorum Imperator propediem ex se natum videat filium, quem Imperii heredem relinquat.

Ex partibus ad Albim inferiorem fitis a. d. 26. Dec. Comes Hompeschius Hollandorum legatus, eo fine Berolinum nuper profectus dicitur, vt Frisiæ Duci filiam Regis Borussiae natu minorem in matrimonium petat, primogenita quippe iam vallix principi desponsata est. Holmiensibus litteris nuntiatur, Russos, cum Finnonia decederent, nulla prorsus iniuria affecisse incolas, prouinciam vero illam alimentis nunc abundate adeo, vt eadem pretio perexigno iam veniant. Senatores suecicos in eo iam esse totos, vt non solum omnia in regno rite constituantur, sed & quantas tempore pacis copias alere necessum fuerit, quamprimum decernatur. Petro-pyrgo accepimus Comitem Kinskyum, Romanorum Imperatoris legatum, peractis rebus suis salutatoque Magno Russorum duce, itinere se iam dedisse Viennamque discessisse. De itinere, quod Magnus dux noster Moscuam suscepturus dicebatur, altum nunc apud nos est silentium, quamuis omnia iam ad id parata sint iamque nonnulli etiam magnates Russici eodem præcesserint, curaturi vt pompa, quam fieri potuerit maxima, Magnum Ducem, in urbem tam introducere queant. Idem Magnus

dux, cum nuper præsentibus proceribus, de pace non ita pridem cum suecicis inita haud sine voluptate recordatus esset, inter alia his verbis gaudium lætitiæque suam contestatus est. Per magna est numinis gratia, quod tam diuturno tamque graui bello feliciter superato, pacem nobis non gloriosam solum sed & omnibus imperii nostri prouinciis quam maxime proficuum, obtinere licuerit; iustum igitur æquumque est, vt memores tanti beneficij diuini, genti nostræ gratiam aliquam præstemus. Quamobrem statuimus, non solum condita lege obliuionis, omnibus ac singulis quorumcunque facinorum reis veniam indulgere, eosque impunes e carceribus atque vinculis dimittere; sed etiam his, qui pecunias imperatas, inde ab initio belli vsque ad annum 1718. conferre non potuerant, debita omnia condonare.

Vienna a. d. 7. Jan. Ex tabulis, in quas nomina demortuorum conferri solent, apparet, anno superiori, ex omni ætate atque ordine hominum, 6490. tum in vrbe tum in suburbiis omnibus esse mortuos; nati e contra numerantur 4104.

Alia a. d. 10. Jan. Hodie in ædibus Excellentissimi Comitis Althani, summi stabuli præfecti, ludi scenici instituti sunt, quos multi magnæ dignitatis viri atque feminae spectatum conuenerant.

Pesonii a. d. 14. Jan. Proxime præterlapsa die saturni, sacrilegus quidam, ex Austria oriundus, ad supplicium datus est, cuius corpus detruncatum prius, deinde rogo impositum, atque in cinerem crematum fuit. Ceterum *Excelsa Commissio* consultationes suas quotidie continuat, nec quando eæ ad finem perducere potuerint, cuiquam adhuc patet.